



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.  
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

**Contzen, Adam**

**Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI**

Quæ caussa malorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

Quia enim quae eodem saltem in praesentia Dei, aliquatenus sequantur pag. 27.

Magnus tenebra impiorum praedictio, qui lachrymas Christi elusorias, fictas, & crocodilicas esse comminiscuntur, haec illa premitur. Cum totius mundi Ecclesiam certamen est Calvinianis, qui absolutum illud decretum damnandi, omnes causas, ac media transgrediens adorant. Horrendum est quod Piscator thesi 127. contra Scaffmanum habet: Deum nolle ut reprobentur Evangelio. Et tamen origo ex huius loci depravatione est apud Lutherum Tom. 6. Witteberg. Germ. f. 510. Christus inquit flet, tristatur & deplorat (istam mensuram) impiorum damnationem. Quamvis aeterna voluntas divina maiestatis aliquos ex proposito perire sinat, reprobet & damnet. Quod Dei voluntas facit, non sine operum respectu malorum, ideo fuit & voluntas illos ipsos salvand, sed quia per se fuerant gratiam receperunt, salvati non sunt, sed Dei decreto damnati.

§. 5. Bartholomaeus Keckermann suorum horrendo dogmate recessit. 1. 3. System. Theol. ca. 1. Electio nostra ad salutem, ut includit conditionem fidei & bonorum operum ut tamen quam media executionis, ita excludit perseverantiam in infidelitate, & malis operibus tanquam in electione penitus repugnantem. Adversarij nobis in signum iniuriam faciunt, cum scribunt nos docere, quod Deus sine ulla plane respectu fidei in Christum Iesum, absoluto quodam decreto, quosdam elegerit ad vitam aeternam, ita quidem, ut etiam si quis usque ad finem vitae perseveret in omni genere flagitiorum, tamen salute sua, ad quam electus sit, excidere non possit. Non est hac nostrarum Ecclesiarum doctrina, nec fuit unquam. Quin potius contrarium docuimus, nimirum, Electionem includere omnino conditionem fidei, & bonorum operum, atque ita Decretum Dei de quorundam hominum salute non esse absolutum, quoad media salutis, sed tamen quoad principia electionis. Nam & ante ita distinguimus fidei, atque adeo bona opera concurrere ad decretum electionis, tanquam effectum eius, & tanquam media salutis; non autem tanquam causam, propter quam est facta electio. Qui ergo in saeculis & incredulitate perseverat ad finem vitae, illi simpliciter non sunt electi, sed reprobi, quia electio non tantum est finis, sed etiam effectus ad finem. Haec eadem sine dubio de reprobatione ex causa maiore diceret si sibi cõsisteret. Et Zwinglio, Zanchio, aliisque cõtradicere audeat. Nos ad Christi lachrymas redeamus. Virum prudentissimum in summa omnium gratulatione, non ex praesenti clade sed futura calamitatis praesensione lacrymas fundere, ingentis mali indicium est. Nec dubium est vllum discipulos, aliosque fideles in timore animo ista reposuisse. Sic enim olim Jeremias, aliique Prophete patriam luxerunt tum neglecti a posteris in precio habiti. Ad Ierusalem enim pertinet, quod Michæa 7. v. dicitur: nunc vastabitur sicut latronis. Maius igitur nunc malum imminere facile adverterunt, cum eum quem tanti aestimabant, silentem viderent.

VERSUS 42.

Quia si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quae ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.

QUESTIO I.

Quae causa malorum?

§. 1. Causa cladium redditur: quia si cognovisses & tu, & quidem in hac die tua, quae ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quibus in verbis multa sunt subaudienda, cum sit oratio, in qua, ut in aethere, bus fieri solet, multa subcentur.

Primo nonnulli interpretantur, ET SI, pro verum, quod Graecis non est infrequens. Luciam: et ἴδενον το καὶ τὴν ὄψιν ἴσταν. Odyli. γ.

Et ἴδενον το καὶ τὴν ὄψιν ἴσταν. Odyli. γ. Vtinam mihi tantas vires Dy conferrent.

Huius tamen loco non convenit, eo quod additur & tu, quia: non autem visitate dicimus: quia, vtinam tu cognovisses: reddendum enim est aliquid, quod particulae, Quia, respondeat, quod quaecumque sit, non coheret hic textus, nisi vox Vtinam resoluatur in dictionem, Si. Quamvis particula, SI per V TINAM, exposita, suum sensum habere possit, non tamen potest, cum altera voce Quia simul posita.

§. 2. Conditionalis hoc modo resoluta est. Si cognovisses, iam mali imminenti metu penitentiam egisses, aut simile aliquid proponendum est, ut sententia expleatur.

Mysterio non caret copulativa coniunctio: Et tu: videlicet, sicut cognovi ego. Non enim comparanda est cum turbā praesente & sequente civitas, ut dicat Christus, vtinam cognovisses & tu sicut haec turba cognoscit, sed vtinam cognovisses & tu. ego cognosco.

Abcondita cum dicit, non absolvit eos peccato sed stuporem & ignorantiam impiam accusat, quod noluerit, aut dire, credere, parere.

§. 3. Maior difficultas est, quid cognoscendum dicat. Graecae lectio minime dubia est; habet enim τὴν εἰρήνην σου, ea quae ad pacem tibi. Latini libri & eum sensum habent, & alium admittere possunt: nempe si cognovisses & tu, & quidem in hac die, quae dies est ad pacem tibi. Priorem habet Cyrill. Aug. Theoph. Euth.

Altera videtur expeditior hoc modo: quia si cognovisses & tu, sicut ego cognovi, & quidem in hac die, quae dies est ad pacem tibi, quia circumdabant te inimici tui vallo, feres quem admodum fleo.

§. 4. Nec prior tamen lectio Graecorum negligenda est: tum quia optimorum est auctorum, & libri: unum plurimum, tum quia facilem etiam sensum habet: Nam quod obiciunt. Non coherere sententiam si dicas, quia cognovisses & tu illa, quae ad tuam pacem seu felicitatem pertinent, feres, facile respondeo. Primo si cognovisses quae ad tuam pacem pertinent eorum satageres, alio profusus modo ageres, non enim opus est subaudire, feres, vel lugeres. Deinde re & etiam subauditum hoc ipsum verbum potest: Si enim cognovisses, quia in re securitas tua consisteret, & pax, feres non minus quam ego, cum animaduertes ab ea te longissimè abesse. Nunc autem illa, quae pacem tibi parere & struere possunt, abscondita sunt ab oculis tuis. Sic Iren. lib. 1. c. 17. aduertit, haeres. refert etiam cognitionem ad ea, quae ad pacem. Ita enim habet τὴν εἰρήνην σου vbi cum dicat σήμερον facile apparet quid intellexerit.

§. 5. Probari potest ex eo quod mala illa Christus accidisse testatur v. 44. quod non cognoverit tempus visitationis tuae: hoc est tempus acceptabile 2. Corinth. 6. 2. Visitatio enim in bonam partem accipitur. Ex quo sensum v. 41. clarissime deduco.

Cum dicit, quia si cognovisses & tu, de earum rerum intelligentia loquitur, quarum ob ignorantiam inimici eius cinxerunt eam vallo, &c. Et hoc factum est propter ignorantiam diei visitationis, quod nimirum diem salutis & pacis non agnovit, salutarium consiliorum occasionem elabi permiserit, de bonorum igitur ignorantia loquitur, de quibus maximus dolor est, cum amissa sunt. Collatione itaque horum locorum certam & lectionem & sensum esse non dubito. Praesertim cum omnes auctores consentiant, tempus visitationis esse, quo Deus misso Messia visitavit plebem suam.